

*Guglielmo Ruffo fa trascrivere
un documento del marzo 1336*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo fa trascrivere
un documento del marzo 1336*

1339-09-06

In nomine Domini amen. Anno Incarnationis eiusdem millesimo trecentesimo trigesimo nono, die sexto mensis septembris, octave indictionis, apud Seminariam. Regnante serenissimo domino nostro rege Roberto, Dei gratia inclito Hierusalem et Sicilie rege, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis comite, regnorum suorum anno trigesimo primo, feliciter amen.

Nos Iacobus de Briga, iudex terre Seminarie, in defectu iudicis non dati in eadem terra nec in presenti anno octave indictionis per curiam ordinati, Ricardus de Papardo, regius publicus notarius ubilibet per totam Calabriam, et testes subscripti ad hoc vocati specialiter et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur: Quod pretitulato die sexto mensis septembris veniens coram nobis notarius Ioannes Chaleli, familiaris viri magnifici Gulielmi Ruffi de Calabria, comitis Sinopolis, per partem regiam requisivit nos, nostrum in hoc officium implorando, nomine et pro parte dicti domini comitis, ut quoddam instrumentum olim die quartodecimo mensis martii, quinde indictionis, scriptum per manus mei predicti notarii publici, de receptione, confirmatione et obligatione notarii Petri Rumboli de Squillacio, habitatoris Seminarie, per eundem dominum comitem, tunc generalem capitaneum et iustitiarium Calabrie, in officio camerae iustitiarius predicti, conficere deberemus iuxta tenorem protocolli mei qui supra notarii publici, eo quod ipsum instrumentum dictus dominus comes, ut idem notarius Ioannes asseruit, perdiderat, et ipsum penitus recuperare non poterat, et eidem domino comiti ad suam cautelam fore necessarium. Quibus requisitionibus iustis, utpote

annuentes, et maxime quia officium nostrum denegare non possumus nec debemus, praedictum instrumentum iuxta tenorem praedicti protocolli, nihil inde addito, mutato, demisso vel diminuto, ad verbum in praesentem publicam formam redegitur. Cuius protocolli tenor per omnia talis est.

In cuius rei testium et ad premissorum omnium certitudinem, quam dicti domini comitis et cuius interest cautelam, factum est de premissis omnibus gestis in nostri presentia, ut prefertur, presens publicum instrumentum scriptum et subscriptum per manus mei predicti notarii publici, signo meo solito signatum, subscriptione nostri qui supra iudicis et infrascriptorum testium subscriptionibus roboratum. Scriptum anno, mense, die, loco et indictione premissis. † Ego Iacobus de Briga, qui supra, in defectu iudicum nondum creatorum, iudex terre Seminarie, testor. † Ego Iordanus de Lazaro de Seminaria me subscripsi. † Ego Henricus de Potentia me subscripsi. † Ego Ioannes de Castellis me subscripsi. † Ego Ioannes Carobba de Seminaria testor. † Ego Nicolinus de Manso de Seminaria testor. † Ego Guglielmus de Asprizio me subscripsi. † Ego Leo domini Ugonis de Geracio testor. † Ego, qui supra, Riccardus de Papardo de Seminaria, regius publicus ubilibet per totum Ducatum Calabrie notarius, presens scriptum publicum scripsi et me subscripsi.